Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

(1820)
Livez 1520

QUÆSTIO MEDICA

Cardinalitiis diſputationibus, manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ ſecundâ Martii.

M. CLAUDIO GUERIN, Doctore, Medico, rei herbariæ Profeſſore, Præſide.

F.M.P. BIBLIOTHEQUE

An ſanitas à calidi, frigidi, humidi, & ſicci moderatione?

SANITAS bonorum omnium condimentum jure dicitur, ſine quo moleſta opulentia, moleſta amicorum neceſſitudo, moleſta ſuaviſſimæ lucis uſura eſt. Si ſenectutem miſeram appellare licet, quæ animum avocat à rebus gerendis, facit infirmum corpus, privat omnibus voluptatibus, nec procul abeſt à morte: Quam potiori jure infelicem putabimus adverſam valetudinem, quæ ſic interdum hominem immutat ut apud ſe non ſit, funeratque qui paulo ante Achilles erat. Stultus eſt adverſus ætatem & canitiem qui juvenili cæſarie virentem ſe fingit, ſilicernius, vietus ac veternoſus ſenex, ne dicam Acherontius & capularis, quem canum Proſerpina ſcit, & cujus capiti perſonam detractura imminet. Nec minus ſtultus, qui præter conſuetudinem emarceſſens, & decorem coloremque amittens ſibi non ſubvenit, non veritus ne in ſe non ſit quod morbum ferat. Aut etiam qui ſpecioſior, & plenior, & coloratior factus, bona ſua ſuſpecta non habet, ſeque fiduciâ ſecundæ valetudinis opprimi ſinit. Sed ſtultiſſimus, ſive ſit habiliſſimo & quadrato corpore, ſive gracili & infirmo, qui effuſâ in omni intemperantia libidine, vel effœtum corpus tradit acceleratæ ſenectuti, vel ſeſe ultro ad interitum præcipitat. Homini numquam ſatis in horas cautum eſt, ne vi improviſa lethi rapiatur. Numquam fuit cupido vitæ major, nec minor cura. Eſt tamen ars quæ ſanitatem rem inæſtimabilem confert, cujus beneficia, quantum quiſque dederit, exæquare non poterit. Sanos eſſe nos exiſtimamus cum muniis ad vitam neceſſariis ſine ulla moleſtia fungi valemus. οὐ τὸ ἐνεργεῖν δεῖ τὸ ὑγιαίνειν, ἀλλὰ τὸ δύνασθαι. Sed agendi facultas à naturali conſtitutione dependet. Ideoque ad Medici officium accommodate ſanitas definitur, διάθεσις κατὰ φύσιν ἐνεργείας ποιητική. Conſtitutio autem illa in legitima partium conſimilium temperie, & convenienti organicarum conformatione conſiſtit. Hæcque vel abſolute talis, ſolâ cogitatione comprehenditur; vel illi parvo intervallo ſenſui non obvio proxima, & revera optima eſt. Altera ab hac manifeſte deficit, citra actionis læſionem; cujus magna latitudo, & differentia multiplex majoris minoriſque ratione. Compoſitionis vitia, ſi ab utero vel fortuita cauſa orta exceperis, vix invenies ulla ſine intemperie. Unde ſanitas maxime pendet à conſimilium partium ſymmetria & harmonia, quæ ſi perfecta eſt, ſervatur accuratâ moderatione eorum quibus conſtat humanum corpus, ſeu retinetur in ſtatu naturali per ſimilia quantum fieri poteſt: ſi imperfecta, ut etiam ſimilibus conſervatur, ſic Modico contrariorum uſu ſenſim emendatur, ſeu moderatior efficitur.

QUI è veteribus Philoſophis uno elemento cuncta conſtare cenſuerunt, hæredes ſectatoreſve non invenerunt. Corpora naturalia non uno motu cientur, neque generatio ſine plurium miſtione fit. Si homo eſſet quid unum numquam doleret, nec enim eſſet à quo pateretur; at conſtat eum doloribus vexari, ideoque alterari per contraria cum ſenſu & perceptione alterationis. Si vero gratis fingeretur ex ſe ipſo dolere, ſequeretur unum eſſe & ſimplicem morbum, unamque & ſimplicem ejus curationem; at multæ ſunt morborum ſpecies, & multiplex eorum curatio, ſicque homo non unico conſtat elemento ſed pluribus. Primus divino numine afflatus Moſes, cæli & quatuor elementorum creationem & ordinationem docuit, & ut terrâ ipſam & aquam duo gravia, ſic per ſpiritum Domini qui ferebatur ſuper aquas, aërem & ignem duo levia quæ ſublimia rapiuntur intellexit. Revera ut aqua terræ permiſcetur præterquam in centro, ſic aër igni præterquam in ſuprema ejus regione, ubi cælo finitimus, ad ejus motum concitatur, fervoremque ac levitatem in integritate retinet. Alias ratione pabuli deorſum fertur, & in hæc inferiora devolvitur. Hippocrates qui quod apud Coos & Athenienſes prophanos divinis honoribus affectus ſit, divini ſenis, nomen obtinuit, quatuor elementa non ſolum ut mundi ſed etiam ut mixti partes ſpectavit, quæ poſt obitum redirent, unde profecta eſſent, eaque tamquam phyſicus ſenſibus addictus, calidi, frigidi, humidi, & ſicci nominibus inſignivit. Ipſemet eadem in corporibus noſtris energitica longo artis uſu doctus, de his Medicos aphoriſmos æternum venerandos condidit. Ariſtoteles ſeu ratio Hippocratis interpres, quæ à præceptore accepit, eo illaudato luculentius explicuit. Galenus quoque ſecundum Hippocratem librum de elementis conſcripſit, quem omnes coætanei Medici literati probaverunt. Hodie ſpretis veræ philoſophiæ ac Medicinæ parentibus, plerique Epicuri, Carteſii, & Chymicorum veterum vel recentiorum figmenta ſectantur In tanta eorum qui ſe Medicos profitentur diſcordia, quomodo non ſuccurreret infelix monumenti inſcriptio, turbâ ſe Medicorum periiſſe. Inter eos quorum officium eſt appoſite curare ad ſanandum, neceſſe eſt ut conſtet ſaltem de primis principiis ſeu de his in quibus conſiſtit ea ſymmetria quam omnes ſanitatem appellant. Quorſum ubi de humana ſalute agitur, licita erit per cæcos & incertos tramites errandi libido? cum ſanitatis aſſequendæ unica via ſit, eaque trita veſtigiis Hippocratis, fallere & falli neſcii aphoriſmorum conditoris, Galeni, aſſeclarumque illuſtrium qui ætates inter experimenta conſumpſerunt, æterumque ſui memores alios merendo fecerunt.

QUATUOR elementa qualitates habent, quibus mundum complent & ad miſtorum generationem concurrunt. Gravitate & levitate majori vel minori, certum in rerum univerſitate ſitum obtinent. Calore, frigore, humore, & ſiccitate, quarum binas ſed excellentem unam ſingula poſſident, agunt invicem & patiuntur, ſeſe in minima comminuunt, ad mediocritatem & concordiam adducunt, accontemperata per mixti formam coadunantur. A primarum qualitatum alteratione temperies, ſeu qualitas actionis manifeſtæ cauſa. A formarum elementariarum unione forma mixti, ſeu novus actus & nova ſpecies, ſub qua formæ illæ colligatæ & repreſſæ deliteſcunt. Hanc & ejus proprietatem, qualitatemve ſpecificam, ſacro involucro natura tegit, abditque in ſua majeſtate. Mixtis perfectis terra & aqua gravitatem & firmitudinem, ſeu craſſamentum quoddam ſtabile & diuturnum, ignis & aër locupleti perfuſione calorem & humorem agendæ & ſuſtentandæ vitæ idoneos largiuntur. Calor ille nativus humido primigenio inſidet, idque continenter abſumendo unà diſſolvitur. Hinc alimenti neceſſitas, quo reficitur utcunque quod defluxit. Alimentum aliquatenus contrarium coctione opus habet, ſeu alteratione quâ calor certa temperie determinatus, illud corrumpit, ut aliud mixtum generet, aſſimilatione remotâ vel proximâ. Sed quod actu nutrit, partis temperiem & formam jam exiſtentem induit, unde nutritio non latine licet adgeneratio dicitur. Hyeme & vere quibus ventres naturâ calidiſſimi, & ſomni longiſſimi, liberalior alimonia convenit. Reſecto epiploo ventriculi calor cibos infœlicius coquit, licet externo abdominis operimento foveatur. Qui creſcunt calido innato exuberant, plurimoque alimento egent ne corpus abſumatur. Senum vero puſillus calor multis alimentis extinguitur. Horum etiam frigidum corpus non ita acutis febribus obnoxium eſt. Ad inſiti ſingularum partium caloris tutelam, natura ἑστίαν τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ ſeu focum caloris nativi, & velut arcem vitalis ſpiritus, cor nempe conſtruxit, à quo per univerſum corpus diffunditur. Diſſecto jam demortui hominis cadavere, ſi in ſiniſtrum cordis ſinum digitum immittas, luculentum calorem percipies. Caloris iſtius gratiâ, ab ipſa natura pulſus inſtitutus eſt, quo conſervetur aëris attractione, & fumidorum halituum expulſione. Cor inſito calore cucurbitulæ inſtar trahit aërem, unàque ſanguinem; trahit ut fruatur tracto; quo expletum aliquandiu trahere ceſſat, tumque fumidi halitus eliminantur & ſanguis in aortam impellitur. Nam tractrice vi cordis ad tempus feriante, cor & arteriæ ad ſe redeunt. Cor conſtrictum, pauco vapido excepto, quidquid continebat expellit. Undanter expanſæ arteriæ ſanguinem evolvunt & explicant, hoſpitemque à corde pulſum & impulſorem admittunt. Sed arteriarum adductio & remiſſio earum percuſſum efficit, ſiquidem tubulo in arteriam indito, conſtrictâque ſuprà tubulum arteriâ, partes arteriæ infrà poſitæ non pulſant, licet ſanguis influat. Vitali rivo in dies minus lentiuſque eunte, hominem ſenio confici, & quaſi areſcere neceſſe eſt. Utque tibi temperamentum ab ortu calidum & humidum, in frigidum & ſiccum mutari conſtet; cerne adoleſcentulum bene habitum, nitidum, comatum, cujus membra quotidie finguntur & creſcunt, donec oſſa propter humorem ſequacia & ductilia ſunt, quique igneo vigore erectus ſtat, opere fervet, moras rumpit, pericula cuncta intrepidus adit. E regione vero intuere decrepitum ſenem, caput nivibus turpatum, vel rotundo ære & cortice lævius, oculos in extremam captivitatem adductos; faciem uva paſſa vel ſtola rugoſiorem, corpus incurvum, tremulum, truncíve inſtar immobile; pellem atque oſſa tabidâ macritudine, larvale ſimulachrum. Illum calore & humore gratioſo turgentem, hunc deficientem agnoſces.

ELEMENTA dum ſublimiorem naturam recuperant, vel aſſumunt, calidiora & leviora fiunt plus minus ſecundum partes, ſicque rareſcunt, ſeu majorem ſine materiæ additione quantitatem acquirunt, & quamvis tenuentur, ubi confertim ſeſe efferunt, obviorum cedentium poros amplificant. Ab aliquo elemento immiſto fermenteſcente, ſeu altioris loci occupandi cupido, quod eo fine confertim erumpere contendit, mixtíque poros amplificat, fit mixti rarefactio ſeu per amplificationem pororum extenſio, quæ ſemper cum fermentatione eſt, licet non eadem ſit. Nam illa eſt motus activus fermenti, ſeu elementi ſublimitatis avidi, miſti quo continetur poros aperientis: Hæc motus paſſivus mixti cujus pori dilatantur à fermento. Ab elementis ut contrariis corruptio & putredo mixtorum. Corruptio cum novâ miſtione prioris miſti temperies & forma deſtruitur, novumque miſtum generatur. Putredo cum calore extraneo humidum à ſicco dirimente, mixtum in quid imperfectum degenerat, ſeu κρᾶμα quoddam aquæ & terræ, donec ipſâ etiam aquâ reſolutâ ſola terra ſuperſtes maneat. Iſta mutatio non momento ſed ſenſim terminum attingit, quem nundum adepta corruptio dici non debet, niſi analytica. Carnes & oſſa corruptione livent aut nigricant. Putredine ſeu ulcere & carie diſſolvuntur ac deficiunt. Pus igne & aëre defectum, in aquam præſertim ſalſam injectum ſubſidet, ob terram cineraceum eſt, & ob ejus diſſociationem agitatione quaſi pulverulentum cernitur. Ipſum quoque fœtet ac tetri odoris eſt. Album, læve, æquale, & minime graveolens non ita computruit, nec indomiti caloris extranei notas exhibet. Ubi fit pus, πόνοι qui non ſemper dolores ſunt, & febres magis accidunt, quam eo confecto. Forte in febribus intermittentibus, humoris in ſecretario putreſcentis, ſubindéque ut in abceſſu liqueſcentis, ac cor attingentis, pars aliqua in pus verſa & præambula, febri prævium rigorem inducit. Interdum calor extraneus gradum excedens priſtinæ formæ debitum, diſcuſſis quibuſdam particulis igneis, cum frigore ad concordiam, devenit, tuncque humido ſeu pabulo blande inhæreſcit, ejuſque cum ſicco congregati terminationem abſolvit, & novum miſtum ſeu vermem generat. Calor attrahit, & materiæ diſſipandæ impar retinet, frigus congerit & cogit: Hinc obſtructiones & tumores à ſola cauſa conjuncta, ut etiam à diadoche & metaſtaſi. Sed epigeneſis ſcaturiginem habet, hæcque interdum à diadoche partem internam ignobilem onerante. Frigidum, oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, & ſpinali medullæ inimicum. Hoc ani muſculum & alvum cohibet, cerebrum comprimit, poros contrahit, ἄδηλον διαπνοὴν moratur; ulcera, carnes, & pulmones mordet; nervos convellit & diſtendit; rigores febriles & non febriles efficit; cutim obdurat, arterias diaſtoli immorigeras & rupturæ obnoxias reddit. Interdum inteſtina cruciat, hæcque & omentum inſueto ſpiritu momento alienat, animi deliquia apnoica parit. Humidum immodicum, calorem obtundit, imprimis alvum & nervos laxat, Boeticam ſuem facit. Siccum alui onera, viſcidos humores, & partes indurat; ſenibus præſertim magna ex parte alvum ſiſtit; ſqualidam laſſitudinem inducit, ac nervos convellit. An ſiccitate partes aliquæ corporis finduntur ac perfluunt? Cum ſplendore ſicco mens prudentiſſima.

CONTRARIA contrariis temperantur & curantur. Victus humidus non modò pueris, & aſſuetis, ſed etiam ſenibus & febricitantibus confert. Fames corpora ſiccat, ideoque polyſarchis & obeſis prodeſt. Refrigerata calefacere oportet, exceptis iis unde fluit ſanguis aut fluxurus eſt. Non tamen frigida ſuprà partes cruore manantes, ſed juxta eas adhibenda. Inflammationi etiam ſeu phlogoſi recenti ſanguine cretæ, ſive epiphlogiſmati, atque eryſipelati non ulcerato, frigidum admovere convenit. Sed in vera phlegmone abſque orgaſmo epigenetica, ne veteraſcat, evacuatio per venæ ſectionem & molliora enemata, potior eſt verâ alteratione, quæ ſuppurationem quidem inhibet, ſed tumorem ſchirroſum, lividum, & nigrum efficit. At vero multum & repente calefacere, vel refrigerare, vel evacuare, periculoſum; tutum autem quando paulatim à contrario in contrarium tranſitus fit. Interdum febrilis calor flatulentas & pituitoſas ægritudines tollit: vehementique hepatis dolori, Ileo à ſtranguria ſupervenienti, convulſioni, & ſorbili ſomno repentinæ cephalalgiæ & aphoniæ conſectario medetur. Nonnumquam frigida affuſa, calore intro coacto tetanum ſanat, in juvene euſarcho, æſtate mediâ. Nonnumquam eadem aqua modico ſtupore dolores tumoreſque articulorum ſine ulcere, & convulſiones minuit ac ſolvit. Ut coctiones naturales caloris nativi roboratione juvantur ac promoventur, ſic fermentationes accommodato refrigerio ſiſtuntur. Inſignes alterationes ſeu gangrænæ ad corruptiones contra naturam tendentes, & corruptiones ipſæ ſeu ſphaceli, calorem obruentis, extinguentis, & maligne ſiderantis materiæ detractione, & ſpirituum recreatione & irritatione ſedantur atque arcentur. Evacuantibus, ſiccantibus, & cauſticis interdum finiuntur putredines partium exulceratarum & carioſarum, quarum ſubſtantia diſſoluitur. Putreſcentes humores in febribus, caloris extranei temperatione coquuntur, ut à natura ab utilium mole ſeparentur & expellantur, aut medicamentis alias cum noxa κινητικοῖς expurgentur. Temperari & à natura regi neſcii, ſeu turgentes, ſubſultantes, & in partem nobilem jam jam ruituri, in febribus malignis per initia, imo ipſâ die ſi valde acuta febris eſt, mochlico potenter revelluntur & exiguntur. In morbis à quibus abeſt cruditas ſeu putredo febrilis, ad catharſim ῥέψια ſufficit. At in febribus adhuc πεπασμὸς requiritur, niſi quod vel in valde acutis rarum materia ὀργᾷ: hoc eſt ſuopte impetu concitata de loco ad locum transfluat, doloremque & titillationem afferendo hominem inquietet. Hippocrati πέπονον eſt quid febrile idoneum redditum quod excernatur, proinde quod deferbuit ſecretumque eſt. Idque ſi relinquitur, non remiſcetur, ſed recidiuum morbum facit, vel in parte morbo mitigato vel ante dolente, laboreve laſſata abceſſum. Idipſumque niſi integre judicatum φαρμακεύειν καὶ κινέειν δεῖ. Alter ab Hippocrate τὰ γευστὰ actuoſiſſima ratus, aliquod horum ſecretum morbum parere cenſet, idque coqui dum remiſcetur, ſicque purgatione non egere, aut tempeſtive interdum à natura vel arte expurgari. Verum ſapores aut ſunt effectus certæ primarum qualitatum temperiei in guſtu, aut in eo duntaxat ſpecies & imagines producunt. Aliterque his activis habitis, ſalutaris alteratio & evacuatio arte fieri nequeunt. Nec enim dignoſci poteſt quale ſapidum ſecretum noceat, & quo temperari & educi poſſit. Utrum purgatio naturæ committenda, & quæ tempeſtivitas purgandi quod inflammat. Cavendumque ne nocuo relicto aliud auferatur, cujus permiſtione temperaretur. Conſtamus calido, frigido, humido, & ſicco, quorum certa temperies vitæ functionibus accommodatur, & à qua receſſus ſanitatem deterit, fitque morbus & morbi cauſa, atque contrariis curatur.

Ergo ſanitas à calidi, frigidi, humidi, & ſicci moderatione.

Proponebat Pariſiis JOSEPHUS CHAMBON, Grignianus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1696.